splendido bonorum colore factorum . et quadam emulatione
uirtutis in se uideatur exprimere. Magnificat autem anima
mariae dominum . et exultauit spiritus eius in deo . eo quod et anima et
spiritu patri filioque deuota . unum deum ex quo omnia . et unum dominum
per quem omnia . pio ueneretur affectu . Sed mariae quo persona
melior . eo prophetia plenior. Nec otiosum uidetur quod et
ante iohannem elisabeth prophetauit . et maria ante domini
generationem. Serpunt enim iam temptamenta salutis
humanae. Nam sicut peccatum a mulieribus coepit . ita et bo
num a mulieribus inchoatur . ut feminae quoque muliebria
opera deponentes infirmitati renuntient . et anima
quae non habet sexum ut maria quae nescit errorem . religi
oso imitetur studio castitatem. Mansit autem maria cum illa
tribus mensibus . et reuersa est in domum suam. Bene in
ducitur sancta maria et exhibuisse officium . et mysticum
numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est
causa quod diu mansit . sed etiam tanti uatis profectus. Nam
si primo ingressu tantus processus extitit . ut ad salu
tationem mariae exultaret infans in utero . replere
tur spiritu sancto mater infantis . quantum putamus usum tanti
temporis sanctae mariae addidisse praesentiam. Mansit autem ma
ria cum illa tribus mensibus. Ungebatur itaque . et quasi bo
nus athleta exercebatur in utero matris propheta. Amplis
simo enim uirtus eius certamini parabatur. Denique tam
diu mansit maria . quamdiu elisabeth pariendi tem
pus impleret. Quod si diligenter aduertas . inuenies hoc
nusquam positum nisi in generatione iustorum. Denique im
pleti sunt dies ut pareret maria . impletum est tempus ut
pareret elisabeth . impletum est uitae tempus cum sancti uiri
ex hoc uitae curriculo demigrarent. Plenitudine

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 39 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/fr/sbe/0166/39)